

Gb
161

B. 89.



3

PANEGYRICUS
SECULARIS,
SERENISSIMO atque POTENTISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO,
DOMINO
FRIDERICO III,
MARCHIONI BRANDENBURG.

S. R. I. Archi-Camerario & Electori,
Duci Prussiae Supremo, Magdeburgi, Cliviae,
Juliae, Montium, Stetini, Pomeranorum, Cassubiorum,
Vandalorumque, nec non in Silesia & Crosnae; Burg-
gravio Norimbergensi, Principi Halberstadiensi, Min-
densi & Camini, Comiti de Hohenzollern, Marcæ &
Ravensbergi, Terrarumque Ravensteinii,
Lauenburgi & Butovii,
&c. &c. &c.

CONTINENS
Foundationem Academia-
rum moderni, præteritorumq;
Seculorum,

In Majorem DEI & Fundatorum Omnium Lachrymabili,
partim funere defunctorum, partim adhuc Divina
juvante gratia viventium gloriam

à
SERENITATI SUÆ ELECTORALI devotissimo

CHRISTIANO KRÜGERO,

Berolinensi Marchico N. P. C. & Advocato in Ducatu Crosnensi Jurato,

Ætatis LXXIII.

Memoriæ ergò CONSECRATUS.

Francofurti ad Viadrum, Typis Johannis Cœpselii, Academiae Typ.

18

PANEGYRICUS
SECVLARIS
SERENISSIMO AC POTENTISSIMO
PRINCIPIS AC DOMINO
DOMINO
FRIDERICCO III.
MARCHIONI BRANDENBURG.
2 R. A. Archi-Gubernis & Electoris
Duci Prussiae Superioris, Magdeburgi, Clivie,
Jullie, Montanis, Saxonie, Pomeraniae, Cassubiae &
Vandalorumque, nec non in Silesia & Cracovia; Burgi
& Saxoniae Normbergensi, Principi Lieberstadiensi, Alti-
schelii & Cambrici, Comes de Hohenhausen, Landgrave
Raczburgi, Brandenburgis, Raczburgi,
Magdeburgi & Thuro.

CONTINENS

Fundationem Aca-
demiam
tum modesti, prae-
secularis
In Mores Dei & Fundationem Omnium Iudiciorum
partim fuisse defensorum, partim ad hoc
juvante gratia viventium gloriam
SERENITATI SVAE ELECTORALI devotissimo
CHRISTIANO KÜGERO
Berolensi Marchio N. P. C. & Advoco in Ducatu Electorali Juris
Aetate XXXVII
Memorie ergo CONSECRATA
Præcolunt ad Viadrinam, T. P. J. Johannis Grotii, & ceteris 1791



TIT.

HEbraei jussu divino Jubi-
laeum, Graeci & Romani caeterae-
que Gentes innumeræ, laudatissi-
mo exemplo, variis omninò riti-
bus & ceremoniis, pro ratione cujusq; Gentis ac
instituti (ut verè à Plinio dictum fuit, tot esse
propemodum ritus moresque, quot hominum
sunt coetus:) Secularia Festa celebrarunt. Nam-
que Romanos, licet rara & obscura apud Scrip-
tores famosissimos adsint vestigia, legimus olim
centesimo & decimo quoque Anno, quia hoc
longissimum vitæ spatium existimarunt, Secu-
lum condidisse & populum per Praeconem ad
ludos seculares, quos nec spectasset quisquam,
nec postea spectaturus esset, convocasse. Ho-
rum

A

rum

rum primus institutor *Numa Pompilius*, quem secutus *P. Valerius Publicola*, placuitque ut penes Collegium XV. Virorum ea cura esset, illique centesimo quoque Anno seculares procurarent. Neque latet AUGUSTUM CAESAREM centesimo nono Anno eos celebrasse, quod tempus postea anticipatum, ambitione Imperatorum *Claudii & Domitiani*, quorum ille Anno 64. postquam *Augustus* eos ediderat; hic verò habitâ ratione Anni, non quo proxime *Claudius*, sed quo olim *Augustus* eosdem celebraverat, atque ita 36. post ludos *Claudii* illos instauravit, attestante ita Tacito in *Annalibus*.

Unde hâc occasione absque omni dictionis colore non longa oratione recitare origines *Academiarum*, in omnibus terris antiquitate celeberrimarum, dignum erit, ut inter *Palæstinos* *Dabiriticam* in urbe *Kiriath Sepher*, *Memphiticam* *Abrahami* auspiciis erectam, inter *Græcos* *Atticam*, & *Alexandrinam*, inter *Gallos* *Massiliensem*, inter *Thraces* ipsos *Byzantinam*, inter *Afros* *Carthaginensem*, inter *Mauritanos* *Mærocensem*, inter *Schotos* *Monensem*, inter *Indos* *Goënsensem*, testantibus Historicis adhuc florentes:

rentes: nec à pietate alienum erit Sūmi Pontificis HELI in Samuelem, Prophetæ Nathan in Salomonem (qui admirabili sapientiâ & cognitione aliis sui seculi Ducibus præluxit, illosq; Magnificentia & Autoritate superavit,) indefessam educationem commemorare, simulq; ex Actis Apostolicis diversitatem Collegiorū *Synagogæ Hierusalomitaneæ & Professorum Libertinorum, Cyrenensium Alexandrinorumque, item ex Ciliciâ & Asiâ* cum Stephano litigantium, Spiritus autem Sancti resistentiâ & gratiâ nihil obtinentium, prænarrare.

Quantum afflatu Divino Prophetæ, Samuel, Elias & Elisa, Successoresq; illorum in *Gymnasio antiquitate florente Debir (ex quo Silo, Jericho & Gilgal surrexerunt, ubi Collegia cælesti consilio instituta)* moliti sint, enarrando dies citiùs quàm lingua deficeret; siquidem tot & tanta sunt, ut in recensendis solummodò, nedum exornandis & amplificandis, disertissimi alicujus posceretur oratio.

Hierosolymis Paulum ad pedes Gamalielis, testantibus Sacris Literis, accumbentem in famigeratissimâ *Tarsonensi* Academiâ omni

mni

in omni scientiarum & eloquentiæ genere imbutum fuisse, ex pereleganti, ad Romanos, artificiosèque dispositâ Epistolâ legere obvium. Josephi sapientia in tantum extensa, ut Ægyptiacis terminis contineri non potuerit, sed terrarum orbem felici ac foecundâ diluvie inundaverit. Illa siquidem Ægyptiorum Sapientia non modò in *Canaan* transiit, sed & ex *Ægypto* in *Græciam* migravit; Unde Macrobius *Ægyptum* artium matrem nominat, de cujus foecunditate postea insigniter adeò gratulari sibi potuerunt *Athenæ*, ut Diodorus Siculus illas cõmunem eruditionis officinam appellare non erubuerit, & Cicero filium tanquam ad mercaturam bonarum artium illuc miserit, ubi etiam Basilus, Chrysostomus, Nazianzenus, cæteriq; Græciæ Nobiles literis operam dederunt; sed Eheu belli temporibus famosum istud Græciæ emporium literarium dirutum. Ex reliquiis Atheniensium Romæ deinceps, septingentis circiter annis ante Christum natum, *Universitas erecta*, ad quam & postea Herodes filios ultra quadringenta miliaria ad erudiendum misit, considerando docentiũ & discipulorum indies magis

magis magisque crescentium multitudinem.

In sequentibus temporum intervallis, flagranti literarum studio motus CAROLUS MAGNUS, *Academiam Parisiensem*, Anno Septingentesimo nonagesimo primo instauravit, literas exulantes revocavit, *Collegia & Cœnobìa* eum in finem extruxit, ut Canonici S. S. Scripturam explicarent, in scholis autem quovis doctrinæ genere præclara ingenia instruerent, prout *Alb. Crantzius Lib. 5. Saxon. cap. 9.* sequentibus verbis præclare scriptum reliquit: *Equidem pro illa ætate, nec dum crebescentibus per Christianum orbem Universalibus illis Literarum Gymnasiis apud Ecclesias Cathedrales Magistri habebantur, qui singulari diligentia non modò rudimentis, sed etiam altioribus doctrinis incumberent.*

Nec immeritò recordamur *Fundationis Osnabrugensis*, cujus Episcopum CAROLUS MAGNUS perpetuum Legatum ad Reges Græciæ nominavit, disposuitque, Clericos Græcarum & Latinarum Literarum peritos esse debere, nisi per illorum socordiam supinamq; negligentiam ad incitas scholarium

B

supi-

studiorumq; favor redactus fuisset, unde CAROLUS QUARTUS in Aureâ sic nominatâ Bullâ Imperii Romani Septemviris, publicas ut erigerent Scholas, gravissimus extitit hortator, & enixæ suæ voluntatis specimen in *Pragensi Academiâ ex Parisiensi Carolinum Collegium* millesimo trecentesimo, septuagesimo Anno fundando, abundanter notum fecit posteris, dictoque Collegio *Johannem Hus, & Hieronymum Pragensem*, ut hominum mentes scientiâ, linguam Eloquentiâ, vitam virtutibus instruerent, præficere non dedignatus est. Eodem gloriæ præconio extolli studuit IMPERATOR FRIDERICUS SECUNDUS, *Vionensem sive Vindobonensem*, uti *Lambecius Lib. 2. Commentariorum* asserit, Anno millesimo ducentesimo trigesimo septimo constituendo; quoniam autem eâ tempestate variis turbis implicitus nullâ unquam ætate silendus Princeps, non prius hæc *Academia* perfectionis suæ fastigium ac robur assequi potuit, quàm sedatis undiq; ac propulsis belli feralis calamitatibus. Ita quoque immortale nominis decus in serâ posteritate conciliare

-iqui
fibi

sibi ac conservare nisus RUPERTUS SE-
CUNDUS, Comes Palatinus ad Rhenum,
in medio Germaniæ, exulantibus literis auxi-
liarem porrigens manum, *Academiam Hei-
delbergensem*, florentissimam quondam Mu-
sarum sedem (nunc ab atrocissimo hoste e-
versam & inter ruinas sepultam) Anno mille-
simo trecentesimo quadagesimo sexto ape-
ruit apertamq; insignibus beneficiis ac Privi-
legiis exornavit. Simili modo ALBERTUS
TERTIUS, Archi-Dux Austriæ, Anno mil-
lesimo trecentesimo sexagesimo quinto, præ-
dictam *Vionensem* renovando, & quicquid
eminentiæ adhuc deesset, clementissimè con-
ferendo ad famæ æternitatem aspirare alla-
boravit. Quibus Principibus laudatissimis
cedere noluit PAPA URBANUS SEXTUS,
Anno millesimo trecentesimo octogesimo
octavo *Coloniensem* fundando *Academiam*;
quem postmodum secuti alii numero innu-
meri, videntes haud majorem ex aliquo in
his terris negotio nominis celebritatem, quam
prudenti *Academiarum* erectione earun-
demque providâ conservatione, acquiri
posse.

Secutæ

Secutæ ulterius temporum seculorumque
successu,

ERFORDIANA, Anno millesimo trecentesimo nonagesimo secundo.

HERBIPOLENSIS, millesimo quadringentesimo tertio.

LIPSIENSIS, millesimo quadringentesimo nono.

ROSTOCHIENSIS, millesimo quadringentesimo decimo nono.

LOVANIENSIS, millesimo quadringentesimo vigesimo sexto.

FREIBURGENSIS, millesimo quadringentesimo quinquagesimo.

GRYPHISWALDENSIS, millesimo quadringentesimo quinquagesimo sexto.

BASILIENSIS, millesimo quadringentesimo sexagesimo.

INGOLSTADIENSIS, millesimo quadringentesimo septuagesimo secundo.

TUBINGENSIS, millesimo quadringentesimo septuagesimo septimo.

MOGUNTINENSIS, millesimo quadringentesimo octuagesimo secundo.

WITTENBERGENSIS, millesimo quingentesimo secundo.

FRANCOFURTENSIS, millesimo quingentesimo sexto.

MARPURGENSIS, millesimo quingentesimo vigesimo sexto.

REGIO-

REGIOMONTENSIS, *millesimo quingentesimo quadragesimo quarto.*

JENENSIS, *millesimo quingentesimo quadragesimo octavo.*

DILLINGENSIS, *millesimo quingentesimo quadragesimo nono.*

DONAVIENSIS, *millesimo quingentesimo sexagesimo secundo.*

ARGENTINENSIS, *millesimo quingentesimo sexagesimo octavo.*

LEIDENSIS, *millesimo quingentesimo septuagesimo quinto.*

HELMSTADIENSIS & ALTORFIENSIS, *millesimo quingentesimo septuagesimo sexto.*

GIESSENSIS, *millesimo sexcentesimo septimo.*

GRONINGENSIS, *millesimo sexcentesimo decimo quarto.*

PADERBORNENSIS, *millesimo sexcentesimo decimo sexto.*

RINTELIENSIS, *millesimo sexcentesimo vigesimo primo.*

UTRECHTENSIS, *millesimo sexcentesimo trigesimo quarto.*

DUISBURGENSIS, *millesimo sexcentesimo quinquagesimo quinto.*

KILONIENSIS *in Holsatiâ, millesimo sexcentesimo sexagesimo sexto.*

C

Quarum

Quarum *Universitatum*, in Inferiori & Superiori Germaniâ sitarum, fundationes & statuta delineare cùm prolixum nimis ac fermè infinitū foret, ambagibus hisce meritò impræsentiarum superfedemus. Illud tamen silentio minimè involvendum, quod **FRI-
DERICUS TERTIUS,**
ELECTOR BRANDENBURGICUS,
DOMINUS NOSTER CLEMENTIS-
SIMUS, Gloriam latè sparsam Anno millesimo sexcentesimo nonagesimo quarto gratiosâ **HALLENSIS ACADEMIA** FUNDATIONE ampliare magis sibi proprium duxerit ac convenientissimum. Quæ **ACADEMIA** non solum eo nomine de insigni sibi potest gratulari felicitate, quod sub **FELICISSIMO SCEPTRO BRANDENBURGICO** exultet atq; triumphet; verùm etiam quod ipso **NATALI DIE SERENISSIMI PRINCIPIS,** Magnificis Impendiis felicitatis suæ sumserit initia, strepentibus licet undique armorum turbis atque incommodis. Quo ipso citra dubium **DIVINUS PRINCEPS, DIVI PAREN-**
REN-

RENTIS, FRIDERICI WIL-
HELMI MAGNI, in medio furen-
tis Bellonæ impetus DÜISBURGENSEM fundan-
tis ACADEMIAM exemplū imitando, Gloriam
in omnia tempora duraturam æternitati vo-
luit esse consecratam.

Divina proindè benignitas admiranda,
quòd alibi in exilium peractæ Literæ in sinu
FRIDERICIANO tutum invenerunt rece-
ptaculum, & atrocissimo totâ flagrante Eu-
ropâ bello SERENISSIMUS FRIDERICUS III.
innumeris licet sumtibus ad belli sustinenda
onera alendosque numerosos Exercitus one-
ratus, nihilominus haud cessaverit inter tot
& tanta negotia de literariis ornamentis co-
gitare, & celeberrimis tribus in Europâ flo-
rentissimis, *Francofurtanæ, Regiomontanæ,*
& *Duisburgianæ, Academiis* Quartam *Ha-*
la Saxonum sitam associare, munificoq; im-
pendio novam pietatis & eruditionis ædem
excitare ac tueri masculè, divini muneris par-
tem esse duxerit.

Præcla-

Præclarissimum hocce ac immortale CLEMENTISSIMI PRINCIPIS institutum omnes, quibus Literarum conservatio grata & accepta est, tam cives quàm exteri, continuâ seculorum ac temporum serie depredicaturi, & quod *Cardinali ALBERTO Brandenburgico simul Electori Moguntinensi & Archiepiscopo Magdeburgensi*, ante seculum & quod excurrit, *Halæ* parare, impetrato à *Pontifice Amplissimo Diplomate*, in deliciis fuit, idem paratum ac fundatum asse à FRIDERICO TERTIO. exquisitis eventuri sunt elogiis.

Quanquam autem vilior orationis meæ stylus profunda hæc FRIDERICI TERTII beneficia haud attingat, nedum exhauriat: nihilominus tamen quantum pro tenuitate virium licuerit, prodere & divulgare fas erit. Conditâ igitur antè laudatâ *Hallensi Academiâ* inter triumphantium jubila, atque prospera quoque apprecantium verba, *Clementissimus FRIDERICUS* propter summam in Imperio autoritatem & incredibilem rerum omnium experientiam, tanquam

quam Communis Pater Patriæ, de conferendis amplissimis Privilegiis, & evocandis undique ingentibus sumtibus toto terrarum orbe famæ ac nominis celebritate viris conspicuis, nec non opimioribus stipendiis cogitare animum induxit, saluberrimo proposito tantum effecit, ut lingvæ toto orbe celeberrimæ addiscerentur & omnis generis exercitia florerent, sive ista in domandis equis, sive corporis ad venustatem artibus comparandis consisterent, quo fine artifices constituti, Magistriq; præfecti, quorum operâ non tantum ingenia ad scientias, sed corpora quoque ad belli castrorumq; labores formarentur, & ita virtute Marti, eruditione Musis, utroque verò beneficio Patriæ, omnibusq; bonis prospiceretur. Unde ex merito citra adulationis metum subjiciendum existimo: *Principem, qui suorum civium majorem curam gesserit, omniq; ex parte paria fecerit, nec belli tantum, verum & almæ pacis artes benignius ac liberalius foverit, inveniri neminem.*

Siquidem non est res parva benè imperare,

D

Divi-

Divinum ac coeleste est; faciliùs admireris,
quàm capias; adeò diffusum est, adeò grande,
adeò multiplex, ut Hesiodus rectè olim dix-
erit: *Reges à Jove esse.* Hinc etiam factum,
ut à gentibus Principes virtutibus absolutissi-
mi in *Deorum* numerum referrentur, iisdem
Templa & Altaria consecrarentur, tandemq;
omnis, ceu propitiis Numinibus, Divinus
præstaretur cultus.

Perplexus hæreo pluribus beneficia FRI-
DERICI III. hominum sortem excedentia
persequi; quare gradum sisto, Divinum im-
ploraturus Numen, ut clauso veteri novum
aperiat Seculum *Potentissimo Romani Im-*
perii Novem viro FRIDERICO TER-
TIO, Fundatori partim, partim quatuor
laudatissimarum Academiarum Munificen-
tissimo Conservatori, totoq; Seculi curriculo,
cum Serenissimo ELECTORATUS HÆRE-
DE, Sceptri Brandenburgici Moderatores vi-
tâ frui permittat, Ipsosq; domi consiliis, fo-
ris armis fortunet, hostiumq; perpetuos
Victores faciat. DIXI.



Qb 161.
40

ULB Halle 3
004 594 975


WMA

M. C.





NEGYRICUS
SECULARIS,
SSIMO atque POTENTISSIMO
INCIPI AC DOMINO,
DOMINO
DERICO III,

HIONI BRANDENBURG.
*Archi-Camerario & Electori,
sua Supremo, Magdeburgi, Clivia,
ium, Stetini, Pomeranorum, Cassubiorum,
que, nec non in Silesia & Crosnae; Burg-
bergensi, Principi Halberstadiensi, Min-
mini, Comiti de Hohenzollern, Marca &
sbergi, Terrarumque Ravensteinii,
Lauenburgi & Butovii,
&c. &c. &c.*

CONTINENS

ationem Academia.
moderni, praeteritorumq;
Seculorum,

In Majorem DEI & Fundatorum Omnium Lachrymabili,
partim funere defunctorum, partim adhuc Divina
juvante gratia viventium gloriam

à
SERENITATI SUAE ELECTORALI devotissimo
CHRISTIANO KRÜGERO,

Berolinensi Marchico N. P. C. & Advocato in Ducatu Crosnenfi Jurato,
Ætatis LXXIII.
Memoriae ergò CONSECRATUS.

Frankofurti ad Viadrum, Typis Johannis Cœpselii, Academiae Typ.

